



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**



## C A P. XXVIII.

**O** Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia tua, Domine! Verum, cum ad intima conscientiæ meæ cubilia penetror, atque omnes ejus latebras ac recessus exquiro, unum ibi delitescens invenio, cui præsertim hanc derelictionis tuæ causam assignem. Inerat, eo tempore, meo in animo ex rebus secundis concepta fiducia; qua elatus, tantos spiritus sumpseram, ut omnes, sicut antea dixi, invisibilium hostium copias, voce ac spiritu ipso, me difflaturum existimarem: neque poteram iis ignoscere, qui in semita mandatorum tuorum nequirent sine casu ac prolapsione consistere. Atqui hanc mihi fiduciam non levis quædam opinio, sed multæ magnæque rationes, ut mihi videbatur, tanquam radices, animo implicabant. primum, flagella iracundiæ tuæ, quæ me vehementer, ac supra quam dici potest, affixerant, illud mihi præteritæ vitæ odium concitaverant, ut, si minus voluntate virtutis, at similibus vel majorum incommodorum metu, omnem peccandi voluntatem abjicerem. deinde, adeo mihi novum, adeo supra omnem fidem videbatur, quod tandem ex illis fordibus emerissem, ut vix mihi ipse crederem, neque unquam tantum tuum beneficium mihi ex animo elapsurum existimarem.

## C A P. XXIX.

**H**æc duo in primis fiduciam meam erexerant, hæc alacritatem incenderant. Ad hæc acce-